INDEX LECTIONUM

IN

UNIVERSITATE STUDIORUM JAGELLONICA

A DIE 1. OCTOBPIS ANNO MDCCCXXIII.

AD MEDIUM MENSEM JULII ANNO MDCCCXXIV.

INSTITUENDARUM.



1823/24



CRACOVIAE.
TYPIS ACADEMICIS.

Civibus Literarum Studiosis

S. P.

Universitatis Studiorum Jagellonicae Cracoviensis

PRO

RECTORE

SEBASTIANUS GIRTLER

PHIL. ET MED. D. FAC. MED. DECANUS.

Cum Senatu Academico.

Jn Martini Galli Chronico Poloniæ circa a. 1110. scripto ed. Lengnichianæ Gedani 1749. fol. p. 1. v. 29—38. hæc verba legimus: *Ad mare autem septentrionale* (Polonia scilicet) *tres habet affines Barbarorum gentilium ferocissimas nationes, SELEUCIAM, POMERANIAM et PRUSSIAM, contra quas regiones Polonorum dux assidue pugnat, ut eas ad fidem convertat. Sed nec gladio prædicationis cor eorum a perfidia potuit revocari, nec gladio jugulationis eorum penitus viperalis progenies aboleri; sæpe tamen principes eorum a Duce Poloniæ proeliis superati ad baptismum confugerunt; itemque collectis viribus fidem Christianam abnegantes contra Christianos denuo bellum paraverunt.* Quæ de Pomerania illorum temporum utraque a Viadro ad Vistulam porrecta, æque ac, quæ de Prussia tum pagana a Vistula ad Lithuaniæ ultimos fines extensa a Martino Gallo dicta fuerunt hoc loco, facile intelliguntur, nec ulli subsunt dubitationi. At quænam illa ad mare Balticum Seleucia fuerit, paucis verbis explicare in animo est, quum alii hanc Seleuciam pro Silesia, alii pro Slesvicensi tractu habuerint. Seleuciam apud Kadlubkonem Silesiam dictam fuisse non negamus, sed mediterranea regio non versus septentrionem, sed versus occidentem sita, et tum ipsius Poloniæ pars eaque jampridem Christianorum sacris addicta, nunquam illa Martini Galli Seleucia Pomeraniæ ad Mare Balticum vicina esse potuit, nec Slesvicensis tractus illis temporibus jam suo nomine, quo nunc audit, innotuerat. Conjecturam igitur facimus hoc loco: Leuticiam pro Seleucia legendum esse, quæ quidem regio et saepius vi et armis ad Christianam fidem adacta, et sæpius


pius iterum ad sacra gentilia relapsa, vix tandem ab a. 1124. ad a. 1170. Christianorum facta fuit provincia. Ad hanc conjecturam firmandam afferendum esse censemus Adami Bremensis a. 1076. locum ed. Fabrici. 1706. p. 58. qui ex adverso eosdem Poloniæ fines describere videtur. *A Danis s. Juthis*, inquit, *incipiunt fines Hamaburgensis parochiæ, qui per maritimos Slavorum populos longo tractu porriguntur, usque ad Panim* (*Pol.* Piana, *Germ*, die Peene) *fluvium, ubi limes est nostræ diœcesis, inde Wilzi et Leuticii sedes habent, usque ad Odoram fluvium, trans Odoram autem comperimus degere Pomeranos, deinde latissima Polonorum terra diffunditur, cujus terminum dicunt in Ruzziæ regnum connecti. cf.* Helmoldi Chronicon Slavorum ed. Bang. p. 2. Etsi autem Adamus Bremensis a Pani fluvio hoc loco Lutitcos s. Wilzos s. Wilcios exclusisse videatur, idem Luticios et Wilzos unum eundemque populum fuisse et ad mare Balticum a Pomeranis Viadro amne divisum p. 19. luculenter testatus est, quod Helmoldus quoque centum annis post repetiit a. 1170. qui et citra et ultra Panim sedem Luticiorum gentilium in quatuor populos distinctorum optime descripsit p. 6. Cum his testimoniis antiquior Nestoris traditio congruere videtur: T. II. p. 66. ed. Schloezerianæ: *Consederunt Slavi, ad Vistulam et appellaverunt se Liachi* (Lechitas, Polonos,) *alii vero sunt Polani alii Poloni, Lutici, alii Mazovitæ, alii Pomerani.* Certo certius Lutici Poloni juxta Pomeranos Polonos non alii, quam Wilsi seu Luticii ultra Viadrum cis et trans Panim fuerunt, unde postea et regioni nomen Leutitiæ obvenit, cujus ultimum vestigium in oppido Loitz, quod Anonymus vitæ S. Ottonis Pomeranorum Apostoli a. 1124. Scriptor Leuticiam quoque nominavit. Sed occurrit etiam Leuticiæ titulus pro Pomerania anteriori bis a Bogislao I. solenniter usurpatus, scilicet a. 1170. in Codice dipl. Brandenburgensi apud Gerkenium T. III. p. 73 Luticiorum dux, et a. 1186. in Codice diplomatico Pomeraniæ apud Dregerum T. I. p. 36. Dux Leutitiæ, et quamvis postea Duces Pomeraniæ maluerint appellari Duces Slaviæ s. Slavorum, relicto Pomeraniæ plerumque Ducibus Gedanensibus titulo, usque ad a. 1317. vid. Dregerus l. c. p. 72. tamen non tam cito antiquæ Leuticiæ exolevit memoria. Facta fuit enim adhuc a. 1210. mentio nobilium de prosapia Luticiorum in Pomerania Anteriori de a. 1177. apud Dregerum I. 80. nec prius Leuticiæ sive Luticiæ nomen evanuisse verosimile est, quam Pomeraniæ Anterioris et Citerioris s. Ulterioris Duces relictis aliis eisque variis titulis hoc solo nomine dici coeperint. Quod eo magis usu venit, quo maturius Pomerania ad Vistulam antiquum nomen in Prussiam mutaverit. Exstincta enim Ducum Gedanensium stirpe, quum Vladislaus I. Rex Poloniæ hæreditatem hanc a Primislao I. acceptam tueri contra Equites Teutonicos non potuisset, non solum sub Crucigeris sed etiam sub Casimiro IV. Jagellonide ab a. 1445, quæ olim Pomerania appellata fuerat, ad Vistulam Prussia regalis tum dicebatur, ut antiqui nominis vestigium vix in Palatinatu Pomerelliae sive Pomeraniæ minoris relictum fuerit. Mirum igitur nemini esse debet scriptorem antiquæ geographiæ ignarum pro ignota Leuticia posuisse notiorem e Kadlubkonis historia sibi Seleuciam ad antiquitatis pristinæ memoriam e Silesia recentiori tam mirum in modum detortam. Simili modo et p. 60. apud Martinum Gallum locum corruptum emendandum esse

mus, scilicet ita legendum: *Namque Leuticiam, Pomeraniam et Prussiam adeo vel in perfidia resistentes contrivit, vel conversos in fide solidavit, quod ecclesias ibi multas et Episcopos per Apostolicum, imo Apostolicus per cum ordinavit.* Hoc loco quoque non de Silesia, sed Leuticia sermionem esse, facile concedet, qui perpenderit: Boleslaum I. Fortem a. 1000. erexisse episcopatum Colbergensem (Ditm. Merseb. p. 92. Chronographus Saxo p. 205.) qui quidem episcopatus inter gentiles nationes conditus mortuo Rege ecclesiæ hujus Auctore a. 1025. brevi ita interiit, ut centum annis post novus Caminensis in ejus locum ne mentione quidem de antiquiori episcopatu facta a. 1124. substitutus fuerit. At sunt, qui dicant, nunquam ad mare Balticum Boleslaum Fortem bella gessisse, nec de ullis rebus gestis contra Pomeranos quidquam apud veteres auctores coætaneos compertum esse. Quod nos ideo negamus, quia præter Martinum Gallum hoc loco et Kadlukokonem, nostrates eosque graves scriptores, alii quoque contrarium huic falsæ opinioni attulerint testimonium v. g. Helmoldus p. 46. *Bolizlaus Polonorum Christianissimus Rex confoederatus cum Ottone III. omnem Slaviam, quæ est ultra Odoram tributis subjecit*, quæ quidem fuit Pomerania, et Neomarchia Brandenburgensis olim terra fere deserta, aut sylva impenetrabilis. Etiam ut alia taceamus, quæ post mortem Boleslai I. Magnis. Fortis acciderunt, Ditmarus Mersburgensis et Cosmas Pragensis a Miecislao I. Boleslai I. parente adversus Luticios Imperatori Ottoni II. a. 985. 986. cum magno exercitu suppetias latas fuisse memoriæ prodiderunt. Ditm. Mersb. ed. Wagn. p. 69. Cosmas Prag. ed. Dobr. 1786. p. 88. Atqui quum Boleslao I. Magno sive Forti in usu fuisset, tum per filium Miecislaum II., tum per legatos in longinquis regionibus rem gerere, quid vetat, quin credamus, arma Polonorum aut per legatos aut per Pomeranorum regulos in Leuticia tum quoque circumlata fuisse, præsertim cum Luticios Bohemis socios semper fideles Ditm. Merseb. p. 71. ut bella a Polonis sæpius illata ulciscerentur sub Imperatore Henrico II. Sancto s. Claudo non semel sed itentidem contra Boleslaum I. Fortem arma vertisse accepimus? Ditm. Merseb. p. 150. 231. 239. Cæterum quum centum annis post, mortuo jamdudum Boleslao I. Forti Camminensis Episcopatus usque ad Panim erectus et mox et ultra Panim extensus fere integram, ut nunc est, Pomeraniam complexus fuisset, Leuticiam æque jampridem Boleslai I. Fortis sec. XI. ac Boleslai Obtorti sec. XII. legionibus patuisse credibile est, quamvis nec diuturna nec certa longinquæ provinciæ possessio ultra Viadrum fuerit, quod Martinus Gallus noster innuere videtur, siquidem non *inter solidatos in fide*, *sed inter resistentes* Luticios retulerit, inter quos et ipsi Pomerani a Viadro ad Lebam amnem usque ad Boleslai Obtorti et S. Ottonis Pomeranorum Apostoli tempora locum habuerunt a. 1124. Restat, ut pauca de Leuticiæ s. Luticiæ illius ambitu dicamus, cui non una eademque semper fuit amplitudo, quia pro varia Luticiorum quatuor populorum fortuna diversa erat eorum potentia, ita ut alii alio tempore populi illis paruerint. Duo autem populi Kicini et Circipanii ultra Panim, Slavonice *czres Pianu* vulgo *za Pianą* vid. Dregeri Czyrspanie in diplomate a. 1226. T. I. p. 115, duo cis Panim Redarii et Tollenses teste Adamo Bremensi et Helmoldo, ut recentiores perhibent, in Pomerania Anteriori, et in Ducatu Megalopolitano

et

et in Marchia Brandenburgensi longe lateque habitaverunt sed parebant ipsi interdum potentioribus Obotritis, etsi non omnes, sed partim Kicini et Redarii. Jnterdum vero aliis populis et forsitan magnæ ultra Viadrum Slaviæ parti imperitabant ut e. g. apud Ditmarum Merseburgensem, vicinum p. 26. Redarii belli principes et auctores fuisse perhibentur et prioribus temporibus soli Wilsii arma contra Carolidas tulisse feruntur. Verum tamen extremo tempore cum exceptis Rugianis soli fere Luticii in his oris essent sacris paganorum addicti et tandem post a. 1124. sensim sensimque vi et armis Christiani facti vix fines Luticiæ a Viadro ultra hodiernos Pomeraniæ Anterioris limites pertinuisse videntur. Cæterum et S. Adalbertus qui in Prussia regnante Boleslao ferme a. 997. martyrium passus est, prius ad Luticios convertendos contendere in animum induxerat, quam ommissis Luticiis in Prussiam se contulit, quod duo Anonymi Vitæ ejus Scriptores in Actis Sanctorum T. III. Mensis Aprilis die 24. testantur. Apud Ademarum Monachum Ecolismensem in Mabillonii Actis Sanctorum Ord. S. Benedicti sec. V. p. 845. S. Adalbertus ad fidem Christi has provincias adduxisse dicitur: Pollianam (Poloniam) Sclavaniam (Slaviam inter Albim et Viadrum) Wared.niam (an Mazoviam an Pomeraniam an Warmiam?) Cracoviam; quas postquam in fide fundavit, abiit in Provinciam Pincenatorum (Patzinatorum s. Pieczyngiorum, ut apud nos audiunt) quem populum Monachus Ecolismensis perperam pro Prussis hoc loco posuisse videtur, nam non a Pieczyngiis sed a Prussis Boleslaus I. Fortis, quem regem Sclavaniæ nominavit, corpus sancti Martyris auro redemit. De Ademaro Engolismiensi s. Ecolismensi vid. Fabricii Bibl. m. et inf. Lat. T. I. p. 13. qui anno 1029. s. 1110. floruisse dicitur.

Dissertatio hæc brevis de canæ vetustatis antiqua memoria moneat Vos, Juvenes ornatissimi, ad novos indefessosque in litterarum et disciplinarum studiis diligenti assiduitate promovendis et augendis labores, quorum dulcis ad longævam senectutem defertur fructus. Pedetentim parvis, quæ discendæ sunt, rebus, levioribusque, quæ sedulo quærendæ sunt, novitiis, constabit paullatim parta alta rerum gestarum vel cujuscunque disciplinæ scientia. Qui neglectis parvis ad magna uno quasi saltu evolare cupiunt, et eruditionem non diuturno labore, sed violento impetu comparare sibi volunt, iis fere similes sunt, qui non exspectato autumno fructus immaturos carpunt, aut qui, quum infantes incedere non posse ægre ferunt, eosdem jam saltare vel equo vehi velint, qui posteriora prioribus, summaque imis misceant vel perturbent. Certa, si quid in quacunque disciplina proficere velitis, insistenda est via, certa sequenda est methodus. Cætera dabit Deus Optimus Maximus, a quo omnia proficiscuntur bona, cujus timor est initium sapientiæ.



ORDO

ORDO THEOLOGORUM.

Matthaeus Kozłowski, Ord. Praed. S. Theol. D. Hist. Eccl. P. P. O. h. t. Fac. Theologicae Decanus.

Hor. mat. 10—11. quotidie, die Jovis excepto, exponet Historiam ecclesiasticam mthodo Alberi.

Florianus Kudrewicz, Ord. S. Basilii M. S. Theol. D. S. Script. Prof. P. O. Reipubl. Crac. Senator.

Horis mat. a 9—10. exceptis diebus Jovis, quotidie, Archæologiam, Hermeneuticam generalem et specialem; tum Exegesin librorum Veteris Fœderis tradet.

Nicolaus Janowski, S. Theol. D. Moral. et Pastoral. et Eloquentiae Sacrae P. O. Can. Cath. Eccl. Crac.

Horis pom. 1—2. iisdem diebus quinis per hebdomadem, scilicet die Lunæ, Martis, Mercurii, Veneris et Saturni, tradet Theologiam Moralem ad mentem legis naturæ at evangelicæ. Idem præleget etiam Theologiam pastoralem, et præcepta eloquentiæ sacræ docebit.

Blasius Helbinowski S. Theol. D. Prof. Ord.

A semihora octava ad semihoram nonam diebus consuetis tradet Dogmaticam.

ORDO JURIS CONSULTORUM.

Nicolaus Hoszowski J. U. D. Prof. P. O. Reipubl. Crac. Senator, Fac. Juridicæ h. t. Decanus.

Horis mat. ½9—10. diebus Martis, Jovis et Veneris, 9—10. diebus Lunæ, Mercurii et Saturni disciplinas politicas tractabit, scilicet: primum Oecononiam Nationum puram, deinde Oecononiam politicam et Doctrinam redituum s. Financiæ vulgo dictæ, nec non Politiæ, ac tandem theoriam Agriculturæ et Constitutionis Regni Poloniæ, Liberæque Civitatis Cracoviensis.

Adamus Krzyżanowski, J. U. D. Prof. P. O.

Hor. 8½ ad 10. quotidie, diebus festis exceptis, Historiam Juris antiqui Polonici, deinde Codicem civilem in Regno Poloniæ vigentem, ratione Codicis Civilis Austriaci et legum antiquarum Polonicarum habita, tum Codicem Mercantilem, qui in Regno Poloniæ obtinet, cum applicatione legum, quæ apud Gentes vicinas in usu sunt, explicabit.

Augustinus Boduszyński J. U. D. P. P. O.

Hor. pom. 5—½7 Historiam Juris Romani, Institutiones Justinianeas cum provocatione ad Pandectas et Codicem Repetitæ Prælectionis, tandem Jus Feudale

dale tradet. Horis mat. 10—½12. quotidie, exceptis diebus festis, semestri hiemali, Codicem judiciarium civilem in Regno Poloniæ vigentem explicabit et quæ e Codice civili Austriaco judiciario et legibus antiquis Polonicis huc pertinent, simul exponet, semestri autem æstivo jus criminale juxta textum Codicis Criminalis Austriaci cum applicatione Codicis criminalis Polonici tradet.

Felix Słotwiński, Phil. et J. U. D. P. P. O.

Hor. pom. 3—4 quotidie, excepto die Saturni, Jus naturæ universum, privatum, civitatis et gentium, nec non Methodologiam et Encyclopædiam Juris docebit.

Hor. mat. 8—9 diebus Lunæ, Mercurii et Saturni, Jus ecclesiasticum tradet.

ORDO MEDICORUM.

Sebastianus Girtler, Phil. et Med. D. Politiae, Historiae medicae, historiae medicinae et institutionum medico-chirurgicarum P. P. O. h. t. Facultatis medicae Decanus.

Hor. 11—½1. diebus Martis, Jovis et Saturni, Politiam medicinalem ex propriis scriptis lingua Polonica tradet. Deinde ad prælegendum de Historia medicinæ pariter ex propriis scriptis secundum ordinem variarum theoriarum et systematum cum necessaria recensione accedet, idque latino idiomate. Iisdem diebus ab hora 3 ad 6. pomeridie artem veterinariam ex propriis scriptis explicabit, mox secundum Pilgnerum, mox secundum Bojanum, aliosque varios Auctores.

Adalbertus Georgius Boduszyński, Med. D. Pathologiae et Therapiae tam gen. quam spec. P. P. O. Reip. Crac. Protomedicus.

Hor. mat. 10—11. diebus Lunæ, Martis et Mercurii, lingua Latina Pathologiam generalem explicabit; diebus Veneris Jovis et hor. mat. iisdem doctrinam de materia medica Therapia generali tradet diebus Veneris binis horis continuis alternata prælectione ab h. 10—12.

Ignatius Woźniakowski, Medicinae Doctor ab Augustissimo Caesare Austriae Rege Apostolico Honoris Numismate ornatus, vices gerens Decani Facultatis Medicae P. P. O.

Diebus Lunæ Mercurii et Jovis ab hora 8. ad 9. idiomate Latino materiam medicam, diebus iisdem ab h. 4. ad 5. idiomate Polonico Chirurgiam theoreticam, ac denique diebus Martis et Veneris eadem hora artem obstetriciam theoreticam idiomate Polonico tradet.

Josephus Sawiczewski, Med. D. Pharmaciae P. P. O.

Diebus Lunæ, Martis, Mercurii et Jovis ab hora 9. matutina ad 10. Pharmaciam docebit, qua finita, aquarum mineralium naturam et indolem explicabit.

Josephus

Josephus Kozłowski, Med. D. Anatomiae et Physiologiae P. P. O.

Anatomiam et Physiologiam tradet idiomate Polonico diebus Lunæ, Martis Mercurii, Jovis et Veneris h. 12—1. Præterea tradet semestri hiemali pro opportunitate tempore vespertino duas horas continuas Anatomiam practicam, semestri vero æstivo Physiologiam diebus Mercurii et Veneris post meridiem ab h. 4. ad 5. Medicinam forensem, a 3—4. h. diebus Veneris.

Xystus Lewkowicz, Med. et Chir. D. S. Annae IIItiae Classis et Legionis Honoris Eques, Chirurgiae Practicae P. P. O.

Hor. pom. 3—4. diebus Martis, Jovis et Saturni in curationibus chirurgicis rite instituendis Auditores ad praxim formabit.

Horis Matutinis 8—9. hiemali semestri, vernali et æstivo ab 7. ad 8. Clinicen chirurgicam duce Richerand, obstetriciam vero ducibus Baudeloque, Boér et Widman quotidie exhibebit.

Josephus Brodowicz, M. D. Clinices Professor P. O.

Hor. mat. 7. 8. semestri hiemali; 9—10. semestri æstivo quotidie, diebus Saturni et festis exceptis, Therapiam specialem lingua latina tradet. Clinicam praxin autem ab h. 8—9. matutino, a 4—5. pomeridiano tempore per annum totum docebit, Latine Studiosos Medicinæ et Chirurgiæ sublimioris, Polonice Discipulos Chirurgiæ inferioris.

Julianus Sawiczewski Med. D. Prof. E.

Horis pom. 2—3 diebus Martis et Saturni tradet artem opem ferendi hominibus, qui in periculo vitæ subito versantur, v. g. qui aquis vel vaporibus vel alio modo suffocati fuerint.

ORDO PHILOSOPHORUM.

I) FACULTATIS MATHEMATICAE ET PHYSICAE.

Franciscus Sapalski, Phil. D. Professor Geometriae descriptivae P. O. Fac. Phil. Math. h. t. Decanus.

Horis 12—1½ Geometriam descriptivam tradet theoreticam et accomodatam perspectivæ umbrarum, artibus fabrilibus et gnomonicæ, diebus Lunæ, Martis, Mercurii et Jovis.

Hor. 12—1 diebus Veneris et Saturni Mechanicam et Hydraulicam per semestre æstivum.

Hor. pom. 2—3 diebus Solis tradet opificibus et artificibus Architecturam et Mechanicam practicam.

Felix Radwański, Phil. D. Mechanices et Hydraulices Prof. emeritus, Reip. Crac. Senator.

Diebus festis horis pom. 2—4. scientiam muniendarum viarum tradet.

Alvi-

Aloisius Estreicher, *Phil. et Med. D. P. P. O.*

Hor. mat. 10—11. quotidie exponet Zoologiam per semestre hiemale ducibus Cuvier, Ocken, Illiger, Lamarck et aliis, qui hac de re tractarunt.

Hor. mat. 7—8. Botanicen tradet per semestre æstivum.

Hor. pom. 2—3. diebus Martis et Jovis tradet doctrinam de generis humani varietate nativa per semestre hiemale.

Hor. pom. 6—8. exercitationes botanicas instituet, et ad botanices practicæ usum manu ducet, atque dendrologiæ rudimenta exponet per semestre æstivum.

Carolus Hube, *Phil. D. P. P. O. Matheseos sublimioris.*

Hor. mat. 8—9. quotidie, exceptis diebus Saturni, tradet Analysin finitorum, calculum analytico-trigonometricum, trigonometriam sphæricam et geometriam analyticam, præcipue theoriam superficierum secundi gradus, duce Hachette.

Hor. mat. 9—10. diebus Martis, Mercurii et Veneris, calculum differentialem et integralem, cum applicatione speciali ad Geometriam sublimiorem docebit.

Josephus Łęski, *Phil. Dr. Astronomiae Professor P. O.*

Hor. mat. ½9—10. semestri altero introductionem in disciplinas astronomicas repetet, quæ Polonice in lucem edita est, altero vero ducibus Delambre et Biot supplebit, quæ ad scientiam astronomicam præcipua sunt præceptorum capita. Tum duce Puissant disciplinam mappas topographicas delineandi compendiose explicabit.

Josephus Markowski, *Phil. et Med. D. Professor Chemiae P. O.*

Hor. 11—12. quotidie, exceptis festis, Chemiam docebit.

Hor. 9—11. diebus Solis Mineralogiam.

Romanus Markiewicz, *Phil. D. P. P. O.*

Horis mat. 10—11. quotquot diebus, festis exceptis, die vero Lunæ ac Jovis 2—3. pomeridie Physicam experimentalem ad normam sui opusculi in usum Lyceorum editi, addens huic e tractatu physices Bioti addenda ampliora de expansibilibus et incoërcibilibus, tum de annulis coloratis, polarisatione fixa et mobili, sub finem vero anni doctrinam de Electromagnetismo e propriis schedis præleget.

Franciscus Szopowicz, *P. P. O.*

Hor. mat. 8—9. quotidie, exceptis diebus Saturni, Mathesin inferiorem i. e. Arithmeticam, Algebram, Geometriam elementarem cum practica et analytica explicabit duce Lacroix.

Vincentius Karczewski, *Adjunctus Astronomiae.*

Quater per hebdomadem horis def. Astronomiam inferiorem tradet.

II) FACULTATIS LITERARIAE.

Paulus Czaykowski, *Phil. D. Literaturae Polonicae P. P. O. Senator Reip. h. t. Fac. Phil. Lit. Decanus.*

Hor. mat. 10—11. traditis præceptis eloquentiæ et poëseos, per classicorum

 Aucto-

Auctorum exempla illustratis, Auditores ad exercitia Linguæ Patriæ in utroque orationis genere ducet.

Julianus Czermiński, Phil. D. Professor Historiae P. P. O.

Hor. mat. 11—12. quotidie, diebus Ven. et Sat. etiam a 7. ad 8. pom. enarrabit historiam antiquiorem et recentiorem. II.) Geographiam physicam et politicam. III.) docebit artem criticam, quæ ad legendos historicos est necessaria. IV.) literarum et scientiarum progressum demonstrabit.

Georgius Samuel Bandtkie, Phil. D. Professor Bibliographiae P. O. et Bibliothecarius.

Hor. pom. ½2—3. die Mercurii, Veneris et Saturni, Bibliographiam profitebitur. Collegium styli cultioris duce Beckio (Artis Latine scribendi præcepta Lipsiæ 1802) et disputatoria philologica et historica cum selectis juvenibus instituet diebus Martis, Jovis et Veneris hor. 7½—9.

Idem semestri æstivo horis definiendis, comparationem dialectorum Slavicarum e supellectile sua qualicunque literaria Slavica juvenibus vernacularum linguarum philomathibus ostendere conabitur.

Hermannus Schugt, Phil. D. Linguae Graecae P. P. O.

Horis pom. 2—3. diebus Lunæ, Mercurii et Veneris explicabit Lucani Pharsaliam.

Horis iisdem, diebus Martis et Saturni, Sophoclis Antigonem.

Horis pom. 4—5. Styli cultioris linguæ Græcæ præcepta profectioribus tradet. Semestri æstivo enarrabit historiam Literarum Romanarum.

Guilhelmus Münnich, Phil. D. Prof. Linguarum Orientalium P. O

Linguam latinam una cum linguis orientalibus docebit diebus Lunæ, Mercurii et Veneris hor. 12—1½. Diebus Martis, Jovis et Saturni hor. 11—12½.

Idem semestri æstivo Antiquitates Romanas explicabit.

Josephus Jankowski, J. U. et Phil. D. P. P. O.

Hor. pom. 3—4 docebit Philosophiam theoreticam et practicam, diebus Martis, Mercurii, Veneris et Saturni, Exercitationes vero pædagogicas instituet die Lunæ h. 3—4. Diebus Martis et Saturni mane hor. 7—8. Historiam Philosophiæ.

Lectorium in Bibliotheca publica Univ. Cracov. patebit hor. pom. 2—4. hyemali, hor. 3—5. æstivo semestri, diebus Lunæ, Martis et Jovis. Hospitibus vero extraneis, qui Bibliothecam, Musea, Speculam Astronomicam et Hortos Botanicos invisere cupiunt, nulla hora præfinita est, dummodo tempus prælectionibus sacrum Bibliothecario et Præfectis Museorum Mineralogici, Zoologici et Hortor. Botan. condonare velint. Quovis tempore de commoda hora certiores facti, curiosis hospitibus nunquam deerunt. Museum Physicum patebit curiosis, qui adesse dignabuntur, hora 10. matutina, finita prælectione.

Docebunt artem pictoriam *Josephus Peszke* Prof. P. O. et *Josephus Brodowski* Prof. P. O., semestri brumali horis mat. 10—12., semestri æstivo 8—12. Linguam Anglicam tradet *Hermannus Schugt* hor. 3—4. Germanicam *Ludovicus Teichmann* horis pom. 5—6. Italicam *Stephanus Laberi* quotidie hor. pom. 5—6. *Augustus Ledru* Linguam Gallicam docebit hora pom. 2—3. diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris. Iisdem diebus h. p. 4—5. diebus Lunæ et Jovis, 2—3. diebus Mercurii et Veneris, *Alexander Sołowiewicz* Linguam Rossicam. Artem saltandi quater per hebdomadem *Petrus Couder* hor. pom. 7—8. Artem equitandi *Theodorus Coghen* hor. pom. 2—3.